



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Variarvm Criminalivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

An Episcopus beneficium iuris patronatus ad suam liberam collationem deuolutum possit iterum in seruitutem patronatus subijcere alicui laico concedendo absq; assensu Apostolico.

Pro parte negatiua faciebant sequentia, primo, quia ius patronatus ex fundatione, & dotatione quaeritur, glos. in cap. pia mentis 16. qu. 1. Bellam. in decis. 712. Franc. March. in decis. 275. & in casu proposito nulla istoria adest, ex quo laicus, cui fuerat concessum nihil egit; addebatur, ius patronatum ad laicos de iure communi non spectare, nisi ex mera dispensatione, Rota in decis. 556. in antiq. & in decis. 404. & in nouis unde generalis dispositio, non comprehendit ius patronatus laicorum, Puteus in decis. 308. item pro eadem opinione faciebat Episcopus non posse nouum onus in beneficio imponere, ut probatur expresse in c. scientes, & c. in nouamus de censibus, & ita refert fuisse per sacram Congregationem declaratum Caler. in eius Margarita casuum conscientiae verb. beneficium.

RESOLVT. CCCCXC.

- 1 Ecclesia debet edificari cum consensu praelati.
- 2 In aliena parochia, etiam si consensus praelati accedat parochi consensus requiritur.
- 3 Ecclesiae reparatio Episcopi consensum non requirit, secus si esset in totum diruta, ut num. 6.
- 4 Iudaeis est licitum reaedificare synagogas combustas, vel in totum destructas absque licentia Episcopi si remaneat solum Area.
- 5 Prohibitus edificare castra, non prohibetur reficere.
- 6 Castrum funditus destructum dicitur nouum, si reaedificetur.

An licentia Ordinarii, quae requiritur in Ereptione Cappellae, seu Oratorii sit quoque necessaria si fuerit destructa, & est reaedificanda.

In aedificanda Ecclesia requiritur praelati inferioris consensus arg. cap. 1. cum simil. extra de religiof. dom. §. sancimus auth. ut null. Fabric. orat. Guid. Pap. in decis. 360. Rota diuers. in decisio. 52. numero 4. volum. 2. Reusner. in decisio. 1. numero 32. lib. 4. Cathedralis autem requirit Papae consensum, & non Episcopi Faber. in §. Religiosum institut. de rerum diuis. Franc. Marc. in decis. 1009. num. 4. vol. 1. sed si in Parochia esset Ecclesia, & vellet alia aedificari, & si accederet Episcopi, aut Praelati consensus id fieri nequit absque parochi etiam consensu, ne iuribus sac. parochialis Ecclesiae praedudicium fiat, ut argumen. cap. dilectus de appell. Monach. & aliorum iurium. voluit Guid. Papae in decis. Gratianop. 361. Crescent. in decis. 1. num. 2. de oper. noui nunc. dicens praestari cautionem de demolendo, & quod interim non consecratur pendente lite, adde Francisc. Marc. in decis. 1014. num. 3. volum. 1. licet in reparatione Ecclesiae

3 Episcopi, vel praelati consensus non requiratur glos. in cap. de Monachis 18. quaest. 2. ubi allegat text. in cap. si quis vult 16. quem sequitur Reusner. d. decis. 1. sub numero 32. lib. 4. quando Cappella non est funditus destructa, vel alias materia penitus abolita, & sic intelligendus est Ang. in Auth. de non alienand. §. hoc ita ad finem collat. 2. quem citat Benedic. de Vadis in addit. ad Felynum in repet. in verbo synagoga, ubi dicit posse concludi, quod Iudaeis sit licitum reaedificare synagogas combustas, vel in totum destructas absque licentia Episcopi cum remaneat solum, & Area quasi remanentibus vestigijs prioris aedificij res non dicatur noua, quamuis esset in totum, & funditus

Aloys. Ricc. Prax. Pars III.

destructa Decius in l. domum suam numero 3. de regul. iur. unde etiam prohibitus aedificare castra non prohibetur reficere Bald. & Angel. in l. 1. §. aedificare de mort. inferendo, quos citat Fely. in cap. cum accessissent num. 33. de constit. cum alijs per Boer. in d. decis. 44. num. 4. Iaf. in l. ex hoc iure num. 17. ff. de iustitia, & iure, ubi quod licitum est reficere muros fortalitij, seu villae absque licentia superioris, glossa, & Bart. in l. sacra loca 1. §. muros de rerum diuisione, & illud quod diximus, ut in reparatione Ecclesiae non requiratur Ordinarii licentia non procedit quando cappella fuerit funditus destructa, nam tunc requiritur licentia Ordinarii ex eo, quod quando castrum est in totum, & funditus destructum, vel alias materia penitus abolita, tunc dicitur castrum nouum si reaedificaretur, ideo non licebit illud reaedificare, absque Ordinarii licentia, & taliter aedificanti potest nunciari nouum opus, quoniam resectio antiquam non sustinet, sed cappellam nouam facit Boer. in decisio. 44. numero 5. ubi complures allegat attestando sic fuisse decisum contra Dominum, qui volebat in Area Castrum aedificare Alber. qui ita etiam attestatur in l. 1. §. si quis aedificium ff. de nou. oper. nunciat. & in leg. inter stipulantem §. sacram de verb. obligat. Fely. in cap. consuluit in 2. notab. de iudaeis, & in cap. cum accessissent colum. pen. in princip. verfi. hae, & similia limita num. 33. de constit. Iaf. in leg. 1. §. si quis aedificium de noui oper. nunciat. & in leg. quominus col. pen. num. 181. de Flumin. ubi per plura in simili adducit.

PRAXIS VARIARVM CRIMINALIVM.

RESOLVT. CCCCXCI.

- 1 Accusatione pendente non potest quis ad officium promoueri.
- 2 Accusatus de aliquo crimine ob calumniam ita ut apud probos viros non sit diffamatus, non impeditur a promotione.
- 3 Stante mala fama accusatoris, reijci debet accusatio calumniosa.
- 4 Infamia canonica aboletur per poenitentiam, vel purificationem canonicam.
- 5 Infamia facti tollitur per factum contrarium.
- 6 Infamia iuris tollitur abolitione criminis.

Accusatus de aliquo crimine an possit interim obtinere beneficium.

VT regulariter accusatus, seu denunciatus de aliquo crimine non possit promoueri ad officium, vel dignitatem denunciatione, seu accusatione pendente habetur in leg. reus ff. de muner. & honor. cap. omnipotens Deus, ubi omnes de accusat. Fely. Rom. Selu. Nauar. & alij quos probant Garz. cap. 8. num. 6. & seq. Azor. libro 6. cap. 7. num. 94. & alij infra citandi, nam dicitur eius fama in aliquo diminuta, donec appareat veritas rei, & proinde non debet interim promoueri.

2 Attamen si per calumniam, vel aliam causam iniquam esset aliquis accusatus, siue denunciatus de aliquo crimine, de quo non esset diffamatus apud bonos, & graues homines accusatio, siue denunciatio non impedit promotionem, quia dicitur facta dolose, & per calumniam, ita Hostien. Io. Andreas, & alij in cap. meminimus de accusation. Rom. Selu. Nauar. Rodriguez & alij quos sequitur Garz. d. cap. 8. num. 7. & seq. idem Rodriguez tom. 2. questio. regular. q. 51. art. 11. ad primum conf. & q. 56. art. 1. Nauar. lib. 5. consiliorum tit. de accusation. conf. 2. & alij plures, itaque cauti debent esse electores, & iudices

X 2 bene

benè prospiciendo qualitates acculati, seu denun-
 ciati, nam si penes bonos, & graues uiros habeatur
 3 pro viro probato, reijci debet accusatio, præcipuè stan-
 te mala fama accusatoris, quod eo magis attende-
 re debent, quando huiusmodi denunciations, vel
 accusationes fierent, ne aliquis superior confirmaretur
 in dignitate, siue officio, & superior penes bonos
 viros non esset diffamatus, ita Hostien. & Io. Andr.
 in dicto capitul. meminimus de accusation. & omnes
 alij de super citati, & ita pluries obseruatum vidi,
 quæ omnia notanda sunt, quia frequentiora: item
 aduertendum, vt habetur in cap. fin. de sent. excom.
 in 6. & per Federic. de Senis, Gemin. & alios quos pro-
 bant Tusc. in verb. infamia conclu. 115. Azor. dicto
 cap. 7. quæst. 3. & plures alij recentiores, quod infamia
 canonica proueniens ex peccato mortali aboletur
 4 per penitentiam, vel per purgationem canonica-
 cam, nempe per iuramentum tale crimen non commi-
 sisse, & alij compurgatores iurant se credere illum
 iurare veritatem, vt habetur in cap. 1. & in c. quoties
 de purgat. canon.
 5 Infamia facti tollitur per factum contrarium, nempe
 per emendationem ipsius delinquentis, infamia
 6 verò iuris tollitur abolitione criminis, nempe si ab
 eodem iudice, vel eius superiore sit declaratus inno-
 cens, si etiam per restitutionem summi Pontificis,
 cuius est habitare infames ad dignitates, & benefi-
 cia Ecclesiastica, & sic de alijs superioribus Ecclesia-
 sticis, vt est capitulum generale quoad religiosos.

R E S O L V T. CCCCXCII.

- 1 *Fiscus de consuetudine non appellat.*
- 2 *De consuetudine notoria, iudex potest in camera se informare extrajudicialiter.*
- 3 *Stylus Romanæ curiæ facit ius quoad omnes.*
- 4 *Fiscus appellat non solum à liberatione, sed à modicitate pænæ.*
- 5 *Si reus appellat, ipso iure fiscus intelligitur adhaerere.*
- 6 *In prouincijs status Ecclesiastici, legati discutunt num sit admittenda, vel non admittenda fisci appellatio.*
- 7 *In Regno Neapolitano fiscus potest habere recursum contra sententiam liberatoriam, si constet de notoria iniuria.*
- 8 *Iudex seruare debet ordinem narratorum.*
- 9 *Fiscus non admittitur ad restitutionem in integrum.*

An fiscus in criminalibus appellat.

DE consuetudine totius Italiae prohibetur fiscus
 appellationem interponere, vt testatur Iose-
 phus Ludouic. decis. Lucens. 1. numro 47. & refert
 Roman. in quæst. 101. numero 32. & de consuetudi-
 ne Mediolani Clar. quæst. 46. numero 2. & de consue-
 tudine Regni Neapolis Grammat. decis. 14. circa
 fin. & Baiar. quæst. 94. numero 32. vbi adducit tit.
 258. Vinc. de Franch. decis. 148. num. parte 1. de-
 cisio 467. num. 6. par. 3. Marchesan. in tract. de com-
 miss. par. 2. in commiss. appell. cap. 2. num. 75. Seac.
 de appellat. lib. 3. cap. 2. quæst. 17. lim. 49. numero
 primo, & seq. vbi subdit, quod de tali consuetudine
 2 tanquam notoria iudex potest ex se ipso in camera
 extrajudicialiter se informare, & quod in Curia Ro-
 mana de laudabili consuetudine fiscus non appellat
 per Bullam Pij V. constit. 74. versicul. minus etiam
 Macerat. dict. resolut. 41. n. 2. vbi firmat talem con-
 suetudinem Curia Romanæ vbique locorum esse ob-
 seruandam tanquam omnium Magistratû, cum Sty-
 lus Romanæ Curia faciat ius quoad inferiores Gra-
 uat. ad Vestr. lib. 5. cap. 3. num. 5. & talis consuetudo
 procedit in omnibus decretis fisco præiudicialibus, vt
 3 puta si diceretur inquisitum esse remittendû ad suum

domicilium, fiscus non appellet, & etiam si absolue-
 retur ab obseruatione iudicij propter peremptam
 instantiam, vt est latè videre per Seac. de appellat.
 dict. limit. 49. numer. 5. & seq. Ac etiam si accusator
 appellauit qui si deinde desistit ab accusatione, illius
 appellatio non suffragetur fisco, qui de consuetudine
 appellare non potest, vt fuit decisum per cons. Nea-
 polit. teste Vincent. de Franch. decis. 685. per totam
 par. 4.

Ceterum supradictis minimè suffragantibus con-
 trarium fuit resolutum in curia Archiepiscopali cum
 secundum iuris dispositionem fisco permitteretur ap-
 pellare, illud la 2. ff. de app. Gram. decis. 14. num. 2.
 Gabr. cõcl. 14. per not. lib. 7. Ioseph. Ludou. Dec. Luc.
 1. n. 41. Baiar. quæst. 94. sub num. 32. Perez. de iur.
 fisci lib. 7. tit. 4. sub num. 1. Prax. Archiep. Neapolit.
 cap. 38. per tot. vbi testatur, ita pluries fuisse obser-
 uatum in illa Curia Archiepiscopali, & post longam
 4 disputationem etiam in curia fuisse resolutum, & non
 solum à tali liberatione, sed etiam à modicitate pænæ,
 Gram. d. decis. 14. num. 2. Baiard. quæst. 57. n.
 23. & quæst. 94. n. 27. Canalcen. de Brach. reg. par.
 4. num. 286. & in tantum est verum, quod si reus ap-
 5 peller, ipso iure fiscus intelligitur adhaerere, ita vt
 possit sententia contrarium reformati in pænis, vt
 post Franch. decis. 148. num. 1. par. 1. firmat. Baiard.
 quæst. 94. num. 32. vers. sed quando Mac. Anr. Ma-
 cerat. var. resol. lib. 3. resol. 41. n. 2. idem. Franch.
 decis. 467. nu. 6. & seq. vbi tamen subdit, quod præ-
 matica Regni non procedat, vbi adisset pars, quæ
 querelam exposuit, & non appellasset, & per bullam
 super reformatione tribunalum constitut. 85. versic.
 cum ad signaturam, statutum fuit fiscum posse ap-
 pellare, ideo hodie seruatur in curia, vt citato reo
 absoluto signatura arbitretur, an appellatio fisci sit,
 vel non sit admittenda, prout etiam dicit Modern.
 Roman. dicta quæst. 101. num. 32. Baiard. quæstio-
 ne nonagesima quarta, numero 23. seq. & idem dicit
 6 seruari in Prouincijs status Ecclesiastici, vt legati, vel
 alij superiores videant an sit admittenda appellatio
 fisci, vel reijcienda, Ioseph. Ludou. dicta decisio.
 Lucen. 1. numero 40. sequent. latè Seac. de appellat.
 dict. q. 17. limit. 39. num. 10. & Vinc. de Franch. de-
 cis. 148. par. 1. vbi querit an possit saltem fiscus pete-
 re recursum à sententia liberatoria, & relatis opinio-
 nibus contrarijs concludit, quod in illo Regno in-
 spiciatur grauamen, & si fuerit notoriè iniustum fi-
 sco concedatur recursum, vel supplicatio, alias iecus,
 7 & ita censuit etiam curia Archiepiscopalis, sed licet
 fiscus admitteretur ad appellationem iuxta resolu-
 tionem signaturæ, tamen prosequi non posset appel-
 lationem si daretur instigator secretus, vel apertus ni-
 si præstiterit dictus instigator, cautionem de reficien-
 do expensas etiam vltioris instantiæ vigore dictæ
 Bullæ Pij V. constitution. 85. vers. non prosequatur,
 Farinac. d. quæst. 101. numero 32. Baiard. d. quæst.
 94. num. 24. & ita passim obseruatur, abique aliqua
 contradictione: Seac. d. limit. 49. num. 11. & sub num.
 12. dicit dummodo petatur à parte, alias non tenere-
 tur dare dictam cautionem, & quotidie scribitur per
 signaturam, vt dicta cautio sit præstanda tunc talis
 fideiussio erit præstanda per instigatorem abique alia
 8 interpellatione, vel requisitione facta à iudice, vel
 ab inquisito cum ita de forma censeatur rescriptum
 à signatura, & iudex debeat seruare ordinem narra-
 torum, & omnia adimplere prout sunt descripta per
 text. in c. cum dilecta de rescr. ubi Abb. n. 4. firmat,
 quod ille tex. quotidie ad hoc allegatur, sed an fiscus si
 non possit appellare, saltem possit petere restitutio-
 nem in integrum conclusio est negativa, ut minimè
 9 admittatur ad restitutionem, de qua opinione latè
 dixi in dicta conclusione trigesima, numero 25. usque
 ad

ad fin. conclusionis, & vide Farinac. q. 101. n. 35. seq. nec minus petere recursum, vt est videre latè per Vinc. de Franc. d. decif. 148. nec potest filius se tueri si appellatio fuerit interposita per accusatorem, si deinde ipse accusator renouauerit appellationem, vt pro- fit illius appellatio eidem filio Franch. d. decif. 658.

RESOLVT. CCCCXCIII.

- 1 Pater, & filius pro vnica persona reputantur, & ita filius infamis etiam incapax sacrorum ordinum videtur.
- 2 Pater mortuus viuere quodammodo dicitur, cum conseruetur in filio, cuius propago ad omnes eius nepotes, & descendentes extenditur, cum sit quedam sanguinis continuatio.
- 3 Pater, & filius propter coniunctionem, quam habent ex iuris fictione vnum videntur habere patrimonium.
- 4 Filius in bonis patris dicitur quasi dominus, ita vt possessio promiscua dicatur.
- 5 Filius cum patre vnum caput faciunt, & pro vno reputantur in oneribus etiam subeundis vniuersitatis.
- 6 Infamia patris de iure non nocet filio, quia pœna patris non transit ad filium.
- 7 Confessio patris, quod nec ipse, neque familia sua gaussa fuit aliquo sedili non nocuit filijs.
- 8 Vilitas, & infamia patris nocet filio, quando de iure ita expressum est, vt est de hæresi.

An filius infamis prohibeatur ad sacros ordines ascendere.

Supposita illa conclusione pro verissima infamem esse incapacem sacrorum ordinum, vt probat expressè in cap. infames 7. quæst. prima, fuit dubitatum apud me in quadam causa an istud procederent etiam in filio infamis, & prima consideratione videtur dicendum, quod sic, propter representationem vnius eiusdemque personæ filij in patre, & è contra, latè per Bald. in consilio 129. volum. 1. pater enim, & filius ita sunt naturæ lege coniuncti, quod pro vnica persona reputantur leg. fin. Cod. de impub. & alijs subtit. adeo, quod vbi vnus est alter esse videtur, cum contra dicimus §. autoritate 35. q. 3. vnde filius vocatur sanguis patris l. 4. ff. de inoffic. test. & vox patris dicitur vox filij, & è contra §. ei qui insit. de inut. imo filius censetur portio viscerum patris l. cum scimus, cum ibi notat per Luc. de pen. C. de agricol. & censit. lib. 1. licet enim verè sit nouus homo, propter animam, quæ non est eadem cum anima patris, nihilominus caro paterna non dicitur omnino extincta, sed potius aucta, & propagata, vt pluribus autoritatibus, & exemplis probat Gug. de Benedic. in red. cap. Raynuitius de testam. in vers. mortuo itaque testatore in 2. parte num. 31. & quamuis pater sit defunctus, caro tamen ipsius conseruatur, & viuunt in filio eiusque propago extenditur ad omnes eius nepotes, & descendentes, adeo quod nepos dicitur quodammodo natus ex corpore aui. l. Lucius Titius, qui fratrem ff. de hærit. instit. est enim quedam sanguinis continuatio inter aum, & nepotem, quæ facit vnum corpus, vt inquit Alexand. Rauden. in resp. 24. num. 42. vol. 2. post Paul. de Castr. in consil. 164. numero 3, & seq. vol. 2. Plaz. in epitom. delict. lib. 1. cap. 22. numero 10. & adeo est coniunctio inter patrem, & filium, vt ex iuris fictione censetur vna, & eadem persona l. fi. Cod. de impub. & alijs subtit. vnde eadem quoque coniunctio operatur, quod vnicum quodammodo videantur habere patrimonium, & filius in vita patris dicitur quasi dominus in bonis illius, ita quod promiscua est possessio patris, & filij, & quod ab vno possidetur censetur ab alio possideri, Aloyj. Ricc. Prax. Pars III.

vt dicit Bald. in l. 2. in fine C. de legit. hered. & ideo æstimum patris prodest filio etiam seorsum habitati, vt inquit idem Bal. in leg. prator. §. sed, & filius ff. de edend. & in l. 1. §. Domini ff. ad Syllan. & in c. quæ in Ecclesiis in fi. de constit. & refert Gugliel. de Bened. in reper. c. Raynuitius de testam. in vers. mortuo itaque testatore in 2. par. num. 45. & Ioan. Ant. de Nig. in cap. regni porrecta n. 105. hinc est, quod si ad sit statutum, quod nemo possit esse de antianis nisi alibratus sit in appretio vniuersitatis in mille, & pater multorum filiorum habeat bona alibrata ducatorum mille, donec pater viuunt illud appretium prodest omnibus filijs in solidum, vt pulchrè dixit Iaf. in leg. filius pacificando numero 3. Cod. de pact. & plenius in l. sciendum. num. 25. cum seq. ff. qui farsid. cog. pater enim cum filijs pro uno capite reputatur secundum Bal. in l. etiam n. 15. C. de exeq. re iud. & domus habitationis patris censetur domus habitationis filij, ut dicit gl. sing. in l. 2. C. qui etat. lib. 10. quam refert Bal. in l. 1. §. illud. num. 2. C. commun. de manumiss. & Iaf. in l. sciendum num. 28. ff. qui farsid. cog.

Contrarium tamen de iure verius existimaui ex eo, quod infamia patris non nocet filio l. filium ff. de senatoribus, sicut pena patris non transit ad filium l. crimen ff. de pen. Natta conf. 557. sicut vile ministerium patris non nocet filio quoad nobilitatem. Anna consil. 80. vol. 1. sicut Mercatura patris non nocet filijs Caballin. Milleloquio 794. par. 2. hinc in nostro S. C. fuit decifum non nocuisse filijs patris confessionem, qua declarabat se, suamque familiam in aliquo ex quinque sedilibus huius ciuitatis gausum non fuisse, quia filij ipsius confitentis fuerunt ad honores sedilis Capuani reintegrati in causa illorum de Acciapaccia in anno 1577. si male non recorder. Vnde Molfes. in summa c. 16. num. 26. dixit, per hæc verba, quod attinet ad filios personæ uilis, & infamis regulariter non sunt prohibiti suscipere ordines, nisi in casibus ubi de iure reputarentur uiles, & infames ex paterno delicto, ut euenit in hæresi, & ideo licet pater histrio, mimus, macellator, & sic de alijs non posset promoueri ad ordines, quia est uilis persona ob ignominiosam artem quam exerceat: filij tamen possent ad ordines promoueri, ex quo uilitas, seu infamia patris non nocet filijs in ordine ad Ecclesiastica munera nisi sic de iure inueniatur expressum, gloss. in c. quoniam uerus in uerb. inuidia 24. q. 1. & alij quos proban. Suar. d. disput. 48. sect. 3. Regim. d. tract. 2. num. 198. ut alios reticeam.

RESOLVT. CCCCXCIV.

- 1 Ad incurrendam pœnam legis requiritur quod sit secutus effectus.
- 2 Stante statuto quod si quis uoluerit aliquem venenare capite puniatur non habet locum in eo qui præparauit venenum, & delictum non fuit consummatum.
- 3 Verbum, uoluerit, intelligitur cum effectu.
- 4 Statuta punientia delicta, intelliguntur de consummatis.
- 5 Statuta debent intelligi in casu uero, & non ficto.
- 6 Non punitur conatus non sequuto effectu, de generali consuetudine.
- 7 Lex quâcumque dura ubi clare loquitur est sequenda.
- 8 Verba statuti sunt propriè intelligenda ubi non est absonus intellectus.
- 9 Quando sumus in atrocissimis, punitur conatus.

An incidat in Penas Bullæ Gregorij XIV. qui conatus fuit extrahere Reum ab Ecclesia effectu non sequuto.

Ad propositum dubium Respondi negatiuè consultus à D. Vicario ciuitatis. Ne ex gloss. not. per illum

illum tex. in l. ff. de rer. diuis. quæ verba ibi posita s. muros transcendere voluerit, interpretatur, & intelligit, quod re ipsa transcederit muros, & Bar. ibi per illam gl. infert ad statum, quo cauetur quod si quis voluerit aliquam mulierem corrumpere capite puniatur. Nam intelligitur quod cum effectu illam corruerit, & ex hoc d. Bar. infert, Fran. de Crem. in suo not. 49. defeniam semel quod stante statuto, quod si quis voluerit aliquem venenare capite puniatur, quod tale statutum non haberet locum in illo, qui praparauerat venenum, si delictum non fuit consummatum; quia verbum illud, voluerit, intelligitur de re ipsa, quod fecerit, & pro tali expositione etiam est glos. in l. 1. in verbo voluerit ff. de leg. 2. & illum not. ibi Alex. in fi. post Paul. de Castr. & ad idem glos. in leg. fi. in princip. Cod. de condit. infer. in ver. voluerit, quam exponit voluerit id est elegerit, & in l. fi. constituerit in ver. voluisse ff. si reg. & in leg. quod si ab initio ff. si cer. pet. & in cap. si diligenti in verbo purgare de foro compet. & not. Bal. Ang. & Imo. in leg. si quis Sempronium. ff. de hered. instit.

4 Facit etiam ad hoc, quod statuta punientia delicta, intelliguntur de consumatis iuxta doctrinam Bar. & omnium in leg. 1. ad leg. Corn. de Sicar. & statuta debent intelligi in casu vero, & non ficto, leg. 3. & ibi Bald. §. hæc verba de neg. gest. leg. quicquid de verb. obligat. §. & sine ista, voluntas venenandi etiam si processit ad actum propinquum dicitur ficta, unde non potest puniri per statutum, quia requirit factum verum, & consumatum, pro ut in simili consultiuit Bal. in cons. 356. incip. statuto Placentie in 1. vol. ubi vult quod stante statuto Placentie, quod quisquis nixus fuerit adulterium committere decapitetur, quod si quis tentauerit, & non potuit adimpleri quod non sit decapitandus, sed quod puniatur illa pena pecuniaria per notat. per Cyn. & doct. in leg. is, qui cum telo ad leg. Corn. de Sicar.

6 Tertio facit, quia per consuetudinem totius mundi est derogatum omnibus legibus disponentibus conatum punire, ut vult Specul. in tit. de accus. in §. 1. quem sequitur Bal. in cons. 361. in 1. vol. incip. quidam rumor, & Alex. in cons. 15. in 1. vol. 2. col. Ang. & Mod. in l. 1. §. hæc autem verba, ff. quod quisque iur. Fely. in tract. quando conatus puniatur in 3. col. Ang. in tract. malefic. in ver. ex interuallo Bertac. in suo repert. in ver. venenatio, ubi dicit se pluries iudicasse Romæ Bart. latissimè in cons. 33. in 2. vol. & hæc est communis opinio, prout ipse dicit, & sic videtur, quod bene iudicauerit Franc. de Crem. exponendo venenauerit, id est re ipsa fecerit, & mors sequuta est: his tamen non obstantibus credo opin. D. Philip. veram, per ea quæ ipse subtiliter dicit.

Nam negari non potest, quod voluntas sit separata ab ipso facto text. c. 1. hic per cum alleg. ubi glos. in ver. voluntatem alleg. plures concor. latè Card. in clem. 1. de vsur. in 3. q. sed ubi processum est ad actum exteriorem efficitur punibilis, ut not. dicit Bal. in leg. non ideo minus C. de accus. 7. col. dicens, quod etiam in atrocissimis voluntas, seu ordinatio ad deliquendum non punitur, nisi processum sit ad aliquem ordinatum de presenti ad ipsum factum, quo casu venit puniendus, sic ergo in presenti casu.

Secundo ubi quis est impeditus impedimento facti, ut quia fuit detectus non venit puniendus conatus, ut voluit DD. maximè Card. in dicto cap. 1. de eo qui mit. in pos.

Tertio statutum loquitur clarè, & expressè puniendò ipsam voluntatem ergo debemus sequi illud, quia lex, uel statutum quantumcunque durum & rigorosum sit, ubi clarè loquitur est sequendum leg. prospexit ff. qui & a quibus.

8 Quarto verba statuti sunt intelligenda propriè ubi

absonus intellectus non sequitur, ut in leg. 3. §. leg. verba, & ibi Bart. ff. de neg. gest. ita in casu isto cum clarè constet voluntatem statuentium velle punire ipsam voluntatem delinquendi propter atrocitatem delicti, ut in l. 1. C. de malefic. ubi glos. Salyc. & lo. Fab. & Ang. post glos. in §. alia inst. de publ. ind. Bal. in suo cons. 164. in 3. vol. ubi appellat. istud delictum grauissimum dicens, quod committens tale delictum proditor, & homicida nuncupatur, ergo est grauissimum, quare non punietur eius conatus, sicut in alijs etiam hodie ut in crimine læsæ maiestatis, & in assassinamento, ut vult ipse Bal. & Ang. post glos. ibi in d. §. hæc verba, & magis latè Ludovic. Bolog. in suo consilio 8. in 3. col. ver. quo assassinamento.

Quinto facit dictum cons. Bal. 356. ubi vult quod si ibi probatum esset quod ille, qui tentauit committere adulterium fecisset quicquid potuerit, & per eum non iteterit, quod veniret puniendus tamen quia ibi non perseverauit, quia penituit, non venit puniendus.

Ad contraria supra adducta respondeo, quod nos loquimur ubi statutum clarè vult punire conatum, quia tunc non potest dici casus fictus immò verus, quia ipsa voluntas delinquendi vera est nec etiam consumatum, quia satis est consummatum illud, quod puniatur statutum.

Nec etiā obstat opinio communis, quæ habet quod generali consuetudine est hodie derogatum omnibus legibus punientibus conatum, quia illa non extenditur ad atrocissima delicta, ut supra dictum est, nec etiam obstat d. c. consilium quia respondeo, prout ad l. fi. de rer. diuis. est bene verum, quod in iudicando esset durum recedere à prima opinione, quam sequitur omnes, de quo vide ibi per Dom. Philip. allegat. maximè Bar. vnum ramen dico, quod si casus eueniret ubi esset in practica talis species delicti prout est Romæ, quod iudicarem contra communem.

RESOLVT. CCCCXCV.

- 1 Delinquentes gaudent immunitate Ecclesiastica.
- 2 Hæretici propter crimen hæresis non gaudent Ecclesiastica immunitate.
- 3 Impetratio beneficiorum, vel dignitatum facta ab hæretico est nulla.

Hæretici angaudeant immunitate Ecclesiæ.

1 Immunitate Ecclesiarum delinquentes gaudent, ut ab Ecclesijs propter sua delicta non extrahantur c. diffiniuit 17. quæst. 4. leg. 2. & l. presenti Cod. de his qui ad Eccles. confugi. l. 2. tit. 11. par. 1. l. 3. tit. 5. lib. 1. fori. II. & habetur in Exodo cap. 21. ibidem constituam tibi locum, in quo fugere debeas, & filijs Israel delinquentibus sex ciuitates ad eorum refugium fuerunt constitutæ, ut habetur Iosue cap. 20. & Deuter. cap. 19. sed quare Ioab fugiens ad Ecclesiam non euasit mortem ut 3. Regnum cap. 2. nam ut ibi apparet duos interfecit Iudæos per insidias, videlicet Abner & Amasan tales autem homicidas, per insidias non tuetur Ecclesia, ut in dicto cap. 21. in Exodo, & capitul. 1. de homicidio, & olim nefas erat quemquam à Deorum templis extrahere, ideo proverbium est ad aram confugisti, vel ad Asylum, quod erat templum Dianæ, sed hæretici hæc Ecclesiarum immunitatem non gaudent propter suum crimen hæresis leg. 1. Cod. de his qui ad Eccles. confugi. Archid. in cap. ut inquisitionis in fin. de hæret. lib. 6. Oldrad. consil. 64. an fugiens num. 3. Abb. in c. inter alia num. 23. de immunit. Eccles. Syluestr. in verbo immunitas 3. quæst. 3. Gundis de Villa de hæret. quæst. 11. num. 15. Hyppol. in l. ex Senatus consulto num. 10. ff. de Sica. rjs

115 Nicol. Boerius decif. 110. Conarr. libro 2. resol. cap. 20. num. 11. Iaco. Sept. in instit. Cathol. cap. 45. num. 21. quia si delinquens in Ecclesia hac immunitate priuatur c. fin. de immunitate Ecclef. a fortiori hareticus qui contra Ecclesiam vniuersalem delinquit, gaudere non debet, alias verò personas, quæ ab Ecclesijs possunt extrahi, refert glos. & doct. in dicto cap. inter alia, & l. pen. & fin. tit. 11. par. 1. & Nicol. Boerius, & Conarr. in locis retro citatis, & nota incidenter hic quod impetratio beneficiorum, vel dignitatum ad preces hareticorum est nulla capit. 2. §. ad hæc de hæc. lib. 6. cap. Felicis de penis eod. libro alias regulariter nihil refert a quo sit impetratum dummodo a principe sit concessum, vt his verbis inquit l. vniuersis C. de princib. Impera. offeren. neque hareticus rescripti aliquid poterit impetrare Specul. de rescriptis §. 5. Ludou. Carrer. de hæc. §. de penis num. 21.

RESOLVT. CCCCXCVI.

- 1 Cognitio de habitu clericali est remittenda iudici Ecclesiastico.
- 2 Reprobatur opinio Guid. Papa in decif. 138.
- 3 Si clericus dicit se ferre habitum, & tonsuram, attamen denudato capite ante iudicem secularem, contrarium reperitur, potest denegari remissio ad iudicem Ecclesiasticum tanquam calumniosa.

An cognitio habitus Clericalis sit remittenda iudici Ecclesiastico.

Quæro an controuersia super habitu Clericali scilicet si habitus sit, vel non sit clericalis pertineat ad iudicem secularem, an verò sit remittenda iudici Ecclesiastico, & respondetur debere remitti ad Ecclesiasticum, vt tenent Gemin. in capit. 1. in fin. 1. colum. de clericis coniugatis, & in cap. iudex laicus col. 3. de sententia excommunicationis Card. in Clem. 2. q. 8. de vita, & honest. Clericorum, & in conf. 41. num. 3. Bald. in conf. 117. num. 9. vol. 3. Alex. in conf. 8. num. 5. vol. 1. Auffer. in repet. Cle. 1. Fall. 20. de officio ordinarij Mascard. de probat. conf. 698. num. 8. post. de Franch. in decif. 189. num. 6. par. 1. Ant. de Ballis lib. 5. variar. iuris tract. fol. 20. 21. Boer. in decif. 69. num. 16.

2 Quidquid dixerit Guid. Papa in decifio. 138. qui voluit quod dispositio cap. iudex laicus de sententia, excommunicationis libro 6. locum sibi non vendicat in habitu, quia cognoscere de habitu spectet ad iudicem secularem, non autem Ecclesiasticum, quæ doctrina procedere tantum poterit quando dubitatio est an is qui non incedit in habitu clericali, sed præterdit se clericum, & dubitatur an sit talis, quod autem dicta habitus cognitio spectet ad Ecclesiasticum probatur.

Primo quia habitus est quid accessorium ad clericatum qui est res spiritualis, quare iudex Ecclesiasticus non secularis, argumento text. in cap. accessorium de regulis iuris, & tenent Gemin. loco citato.

Secundo ex autoritate Rotæ in decif. 3. de sententia excommunicationis in nouis, vbi per optimè hoc idem probatur.

Limitatem tamen vbi reuocaretur in dubium id quod statim potest probari, vt de tonsura, quæ potest statim videri ad oculum deposito bireto, vt si aliquis allegaret se clericum propter habitum, & tonsuram, si iudex secularis statim denudato capite contrarium cognouerit, poterit tunc denegari remissionem ad iudicem Ecclesiasticum, tanquam calumniosam, vt per Franch. in cap. 1. §. de Clericis coniugatis in 6. & Mascard. loc. cit. secus verò si dubitaretur

Aloyf. Ricc. Prax. Pars III.

num tonsura sit clericalis vel ne, nam tunc in tali casu Ecclesiasticus deberet cognoscere.

RESOLVT. CCCCXCVII.

- 1 Duo necessarij, & copulatiue concurrere debent vt delinquens remittatur ad curiam artis lanæ, & n. 7.
- 2 Miles non militans si delinquit non remittitur Magistro militum.
- 3 Idem de scolari non studente.
- 4 Mercator non exercens mercaturam non remittitur superioris mercatorum.
- 5 Idem de Artifice.
- 6 Clericus non seruans in diuinis non remittitur Episcopo.

Vt quis remittatur ad consules artis lanæ, quæ nam concurrere debeant?

Quæro quæ nam requirantur vt delinquens remittatur ad curiam artis lanæ, respondetur duo esse necessaria, primum vt exerceat artem illam Bar. in l. scriniarios Cod. de tes. militis, vbi Franc. Aret. in not. & Corn. col. 1. ver. nota idem Bart. per illum text. in l. semper §. penult. ff. de iure immunitatis, & c. qui sub prætextu col. 2. C. de Sacrosanctis Ecclesijs, & in l. duos §. primo num. 3. ff. de excusatione tutorum Bald. in l. 1. in 7. col. in fin. C. de collegiarijs lib. 1. 1. & in conf. 21. num. 4. vol. 2. Taf. 127. num. 3. vol. 3. Barf. conf. 37. num. 4. & sequente col. 1. ex quo inferitur ad plura.

2 Inferitur prius, quod non militans si deliquerit non venit remittendus Magistro militum l. nec quidam C. de testam. milit. vbi Bal. in 7. not. Bal. in leg. Diuus in fi. ff. eodem Bart. in l. si duas §. gramatice ff. de excusatione tutorum Alex. in l. Centurio in 2. col. num. 15. ff. de vulgari, & pupillari subft. & in conf. 3. num. 4. vol. 1. Afflict. in conf. Regni intentionis nostræ sub num. 28. lib. 1. Anto. de Nigris in cap. Regni emergentium num. 16. & Viuius loc. cit. decif. 153. vol. 2.

3 Inferitur secundo quod scolaris non studens, si deliquerit non venit remittendus rectori studij ita Bart. in §. omnem in fin. progm. ff. & in Aut. habita, vbi etiam Bal. in 3. col. num. 25. Cod. ne filius pro patre idem Bar. in l. sub. prætextu in fi. Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs Io. de Lignar. in progm. Clem. num. 5. Fely. in cap. quando in fi. de magistris, & progm. decret. in 3. col. num. 21.

4 Inferitur tertio, quod mercator qui mercaturam non exercet si deliquerit non venit remittendus superiori illius professionis iuxta terminos text. in l. per iniquum C. de iurisdictione omnium iudicum Bar. in dict. l. sub. prætextu in fine C. de Sacrosanctis Ecclesijs Alex. conf. 91. num. 3. vol. 1. Rolan. in conf. 37. n. 10. vol. 2. Dec. conf. 81. num. 4. vol. 1. Mandos. conf. 37. vol. 1. & Guid. Pap. in decif. 41. & Ann. Alleg. 1011. num. 2. vol. 2.

5 Inferitur quarto, quod artifex, qui artem non exerceret, si deliquerit non venit remittendus rectori illius artis, ita Calcan. in conf. 33. Carret. in conf. 21. n. 4. vol. 1. Borell. in conf. 15. n. 16. vol. 1. & de Franch. in decif. 176. par. 1. & idem in decif. 481. par. 2.

6 Inferitur in clerico non beneficiato qui non seruit in diuinis, qui si delinquat non veniat remittendus Episcopo iuxta disposit. S. C. T. fefs. 23. cap. 6. qui requirit seruitium in diuinis, vt clericus fori gaudeat priuilegio, & ita etiam not. Gemin. in cap. si. per illum text. de rescriptis Anchar. in conf. 333.

Secundum quod requiritur est, quod sit descriptus in Matricula illius artis Bal. in l. scriniarios Cod. de testam. militis, dicit vtrumque requiri scilicet matriculam, & exercitium, vt delinquens remittatur, nec

X 4 sufficit

sufficit matricula ad obtinendam remissionem sine exercitio, nec est contra exercitium absque matricula, prout idem tenet Pau. Cal. qui in specie ponit questionem in 2. col. 16. in tex. eandem opinionem tenet ibidem Corrad. col. 1. vers. in text. ibi exercens, & ibidem Dec. col. 2. vers. requiritur tamen Ang. in l. miles §. eo tempore ff. de testamen. militis Rimin. in l. scriuarios 1. col. versic. pro quo facit Cod. eodem, & ita nouissimè fuisse in proprijs terminis decusum est de Franch. in decis. 481. par. 2.

RESOLVT. CCCCXCVIII.

- 1 Delegatus Principis dicitur maior Ordinario,
- 2 Delegatus Principis repræsentat ipsum Principem,
- 3 Delegatus Principis delinquens in non procedendo, nisi per ipsum Principem puniri potest, & de ratione n. 4.

An delegatus Principis delinquens sit remittendus ipsi Principi, an verò puniri debeat per ipsum Ordinarium,

QVaro an delegatus Principis sit remittendus ipsi Principi an verò puniri debeat per Iudicem Ordinarium, & pro vna parte videtur resoluendum, quod sit remittendus Principi ex multis.

Primo per tex. in capit. sanè il secundo vbi DD. de officio deleg. vbi delegatus Principis dicitur maior quolibet Ordinario, vt tradunt com. DD. in verb. ff. de officio eius si maior. ergo nullo modo poterit per ipsum puniri, quia minor non habet iurisdictionem in maiorem l. maiorem, ff. de iurisdictione omnium iudicum l. pen. ff. de iudicijs, & in cap. cum inferior de maiestate, & obedientia.

Secundo facit, quia delegatus Principis repræsentat ipsum Principem l. eos C. de appellationibus cap. pastoralis de officio delegati, & tradunt DD. in l. 1. C. qui pro sua iurisdictione qui Princeps a nemine iudicari potest, ergo nec eius delegatus ipsum repræsentans.

Prædictis non obstantibus contrarium dicendum est cum hac distinctione, quod aut delegatus delinquit in non procedendo, & tunc quia solum excessit contra Principem in non parendo mandatis ipsius, non poterit per alium inferiorem puniri, sed ipsi Principi remittendus est puniendus. Bald. post Petrum, & Cyn. in Auth. qua in Provincia Cod. vbi de Crimine agi oportet Alexand. in l. a diuo Pro §. sententiam, post num. 17. in fine ff. de re iudicata Alci. in leg. pronuntiatum num. 4. ff. de verborum significatione l. as. in l. fin. numero 7. ff. de iurisdictione omnium iudicum, & Ioan. Andr. & Sicul. in capit. fin. de re scriptis in 6. Abbas in capit. primo in princ. de raptoribus, Felyn. in cap. cum inferior in 3. not. de maiestate, & obedientia Mar. Soc. in capit. postulasti in 4. col. num. 16. de foro competenti post Feder. de Senis in conf. 17. & add. ad Capell. Tholos. dec. 424. vel delegatus delinquit in agendo, & tunc potest puniri per ordinarium loci, & nullo modo remittendus est Principi, & alij in l. ciues libertatem ff. de petitione hereditatis Spec. & Ioan. Andr. in tit. de inquisitione §. primo versic. sed pone in fine Bar. in l. si quis violauerit in fine ff. de rerum diuisione l. as. in l. si duo patroni §. idem Iulianus numero 8. ff. de iure iurando Pet. de Anchar. in repet. cap. ea quæ in 6. col. numero 42. de regulis iuris Mar. Soc. in capitul. super eo in fine de raptoribus post Ioan. Andr. ibidem in 3. not. ad quod facit tex. cum gloss. in cap. cum Episcopus de officio Ordinarij.

RESOLVT. CCCCXCIX.

- 1 Clerici à laicorum iurisdictione sunt exempti.
- 2 Index laicus non potest cognoscere de causis Clericorum, directe vel indirectè nec in actione personalis nec realis, siue incidenter, siue per viam exceptionis.
- 3 Clericus etiam volens non potest consentire in iurisdictionem Iudicis laici.
- 4 Bona mobilia clericorum sunt exempta à iurisdictione laicorum.
- 5 Bona patrimonialia laicorum gaudent privilegio clericorum.

Sequestum licet de facto in periculo more à iudice seculari factum fuerit in bonis Clerici sub pretexto periculi in mora, tamen creditor debet coram Ecclesiastico causam agere.

Fundamentum præsentis articuli constat ex illa conclusionem bona Clericorum esse exempta à iurisdictione cuiuslibet laici iudicis, Clerici enim omni iure à laicorum iurisdictione sunt exempti, capit. si quis Clericus, vbi Abb. & Fely. in eodem tit. constitut. Federici II. hoc edictali §. Sancimus 36. numero 11. & seq. Fulu. Pacian. consilio 746. numero 115. Duaren. de sacris Eccles. milit. lib. primo cap. 2. in fin. & laici iudices nec principaliter nec incidenter cognoscunt de causis Clericorum cap. nunquam si Imperator capit. cum ad verum 96. distinct. Michael. Agia tract. de exhibendis auxiliij fundam. 26. Rolan. à Valle conf. 12. numero 37. lib. 2. dicens quod clericus non potest trahi coram seculari, siue agatur reali, siue personali, siue possessorio, siue petitorio, siue iudicium sit ordinarium, siue summarium, nec secularis iudex potest indecenter nec per viam exceptionis contra clericum iudicare, & probat idem Rolan. à Valle vbi proximè num. 38. & 41. nec etiam de voluntate ipsius clerici, qui etiam iuramento nequit in laicum consentire, & ipsum capacem facere dict. capit. significasti, vbi gloss. Alexan. conf. 8. libr. 1. Speculator. lib. 2. titul. de competentis iudicis additione §. primo nu. 21. Lopus allegat. 58. numero 14. Philipp. Franch. in questionibus super materia petitorij dub. 4. numero 11. Abb. quæst. 6. numero 3. Lopus allegat. 58. numero 14. Pau. Castr. conf. 259. in cap. omnis difficultas numero 5. parte 1. Cellus Hugo conf. 46. numero 3. Federic. de Senis quæst. 275. nu. 2. Menoch. lib. 2. de arbitrarijs casu 430. numero 2. Rol. à Valle conf. 4. numero 10. vol. 1. Matth. de Afflic. decis. 24. & 25. utrobique numero 1. Clerici enim omnes etiam in minoribus ordinibus constituti maxime beneficiati, sunt de foro Ecclesiæ capitul. cum non ab homine de iudicijs cap. 2. de foro competenti cap. clericum capit. nullus 11. quæstion. prima Dec. in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ numero 19. de constitution. & in cap. decernimus num. 166. de iudicijs Rebuff. in commentar. ad leg. Gallicas tract. vt laici non conueniantur coram iudicibus Ecclesiasticis numero 10. Concil. Trident. sess. 23. sub decreto de reformat. capit. 6. Roland. à Valle conf. 23. numero 12. lib. 2. dicens quod Clericus debet conueniri coram iudice suo Ecclesiastico, siue conueniatur à laico, siue à clerico Iosephus Cumia in ritus Mag. Cur. Vic. Regni Siciliæ capitulo 2. numero 40. latè Grammat. decisio. 61. à numero 4.

Idemque procedere in bonis clericorum mobilibus, nam bona mobilia Clericorum sequuntur conditionem, & privilegium personæ capit. final. de vita, & honest. clericorum 10. de Plat. in l. 2. in fine Cod. de privileg. eorum qui sacro Palatio militant lib. 12. Rebuff. in proemio ad constitut. Franciæ gloss. 5. num. 56. Bald. in l. mercatores Cod. de comm. & mercat. quem

quem refert, & sequitur Alex. consil. 3. r. viso titulo questionis premiffæ volum. primo, & alij relati per Celsum Hugonem consil. 60. numero 51. Caballin. milleloq. 617. numero 2. Cephal. consilio 178. num. 105. vol. 2. Hieronym. Grat. consil. 61. numero 47. vol. 2. unde licet perlonge Clericorum non ligantur statuto laicorum, non ligantur bona, quæ gaudent privilegio clericorum glos. 2. in cap. Ecclesia Sancte Mariæ, ubi Abbas numero 7. & 21. de constitutionibus, qui post alios, quos citat dicit, quod etiam patrimonialia clericorum non ligantur laicorum statuto, sequitur Felyn. ibi num. 10. circa principium Dec. n. 18. Ripa consil. 81. num. 6. And. Sicul. consil. primo num. 66. vol. 3. Ioan. Petr. Sord. decis. 160. n. 10. & 11. Puteus lib. 1. Rota decis. 63. num. 2. ubi dixit, quod clericus est eiusdem fauoris, cuius est Ecclesia Greg. Lopez gl. 7. in l. 58. tit. 6. par. 1.

RESOLVT. D.

- 1 *Merces prohibitas non licet deferre ad Barbaros, & hostes Romani Imperij talia sunt vinum, oleum, arma, ferrum, cotes.*
- 2 *Ad Sarracenos non sunt deferenda lignamina, naues, &c.*
- 3 *Non est licitum deferre ad Sarracenos merces prohibitas, etiam pro redemptionem captiuorum.*
- 4 *Merces etiam non prohibita non possunt deferri ad Sarracenos tempore belli.*
- 5 *Tempore pacis licitum est deferre Sarracenis merces non prohibitas.*
- 6 *Asportantes prohibita ad Barbaros puniuntur de iure civili pena confiscationis bonorum, de iure vero canonico pena excommunicationis.*

Christianis an licitum sit negociari, & mercari cum Sarracenis, & Barbaris.

AN licitum sit Christianis negociari, & mercari cum Sarracenis, & Barbaris, dicas de mente Doctorum considerando, seu faciendo aliquas conclusiones pro huius dubij vera resolutione.

Prima conclusio est quando querimus de Sarracenis, ac de alijs Barbaris, qui sunt hostes Romani Imperij.

Secunda est quando præter istos querimus de alijs. In prima conclusione pro eius resolutione duo sunt considerandi casus.

Primus est tempore belli.

Secundus est tempore pacis seu tregue.

In primo casu facias duas conclusiones.

Prima est in mercibus prohibitis.

Secunda est in mercibus non prohibitis.

- In prohibitis conclusio est, quod non licet eas ad Sarracenos, seu alios Barbaros Romani Imperij hostes deferre, vt probatur in l. 1. & 2. C. quæ res exportari non deb. ubi ad Barbaros vinum, aut oleum, aut alia liquamina deferre non licet causa negociationis, vel commerciorum, & idem dicit glos. in dict. l. 1. esse in quibuscumque aridis, scilicet victualibus non solum in vino, oleo, & alio liquamine, quia est eadem ratio, & in ferro, & in omni armorum genere, vt habetur in dict. l. 2. & idem est in cotibus, seu lapidibus, qui sunt ad ferrum acuendum l. cotem ff. de publican. ubi expressè idem dicitur esse in frumento, sale, & hoc etiam declaratur in l. 1. cum glos. Cod. de lictorum, & itinerum cultod. lib. 12. ubi glos. dicit, quod merces, quæ prohibita sunt deferri ad nationes Barbaras sunt victualia, & arma, nec deniq; mercatoribus nostris licet aurum promanicipijs, aut quibuscumque speciebus comparandis ad Barbaros transferre l. 2. C. de commerc. & mercator. nec animalia licet transducere in Barbari-

cum solum l. usurpatione, & ibi not. C. de Vectig. & commiss.

Hæc conclusio primo procedit etiam de iure Canonico c. ita quorundam c. significauit c. quod olim, & c. ad liberandum extr. de Iudeis, ubi etiam exprimitur idem in deferentibus ad Sarracenos ligamina galearum, & in vendentibus eis galeas, aut naues, & in summa ex d. c. significauit elicitur, quod nullæ res, vel merces ad Sarracenos, seu in Alexandriam deferri possunt, ex quibus possit ad Sarracenos aliquod commodum, vel subsidium peruenire.

Habet locum dicta conclusio secundo etiam si Christiani ferant huiusmodi res prohibitas absque intentione, vt impugnentur Christiani, satis est, quod Christiani possint impugnari gl. 10. And. & Abb. in d. c. ita quorundam in glos. vers. ferrum.

Tertio d. conclusio locum habet etiam si quis merces prohibitas deferre vellet pro redemptione captiuorum, dato quod aliter captiuos Christianos redimere non posset glos. Abb. & Doctores in d. c. significauit, & licet aliqui Doctores contrarium teneant, tamen hæc est magis communis conclusio vt dicit Alex. in consil. 130. vol. 7.

Quarto declaratur procedere etiam si portetur aliquod liquamen quantumcumque modicum etiam causa degustandi l. 1. C. quæ res export. non deb. ex hoc ibi Baldus infert quod illi, qui non possunt portare vinum extra districtum etiam vnam materiam, portare non possunt gustus causa.

Contra hanc illationem tenet ibi Salicetus, quia dicta l. loquitur quando fertur ad hostes, & ideo non extendenda.

In secunda conclusione in dict. capit. significauit videtur tenere, quod merces non prohibita possint ad Sarracenos portari etiam tempore belli, tamen, ibi Abb. & alij Doctores tenent contrarium, & Alex. in consil. 130. vol. 7. quæ conclusio probatur in d. cap. quod olim secundum verum, & magis communem intellectum, vt ait Alex. in dict. consil. 130. & ibi idem tenent Inn. Goffred. & Abb. & sic hæc est communis opinio, & vera, vt probatur in dicto cap. quod olim in verbis illis eis reliqua rerum subsidia, & in illis alijs verbis eis mercimonia consilia, vel alia subsidia transmittatis.

In secundo casu primæ conclusionis, qui est quando loquimur tempore pacis concludas, licitum esse, indistinctè mercimonij causa cum Sarracenis habitare, & ad eos merces & res quascumque transferre, ex quibus possit Sarracenis commodum, & subsidium, provenire dummodo non sint de rebus specificè prohibitis, quas supra enumerauimus, ita probatur in dicto cap. significauit, & in dicto cap. quod olim tradit Hostien. in summa in tit. de Iude. & Sarracen. §. fin. & eandem opinionem tenent Innocen. Abbas, & alij Doctores communiter in dict. capit. quod olim, & Abbas in dicto cap. significauit, & ita est tenendum, licet aliter in dict. c. significauit glossa senserit, & opinionem communem etiam tenuit Alex. in dict. consil. 130.

In secunda conclusione principali quando loquimur non de Sarracenis, nec de alijs Barbaris qui sunt hostes Imperij Romani, sed de alijs præter ipsos de mente Doctorum duo sunt considerandi casus.

Primus est in mercibus non prohibitis, & in hoc casu dicas illas deferri posse, tradit Alexand. in dict. consil. 130.

Secundus est in mercibus prohibitis deferri ad Sarracenos, & in hoc casu dicas illas deferri posse, quia illas deferri ad istos non reperitur prohibitum, & ita concludit Alexan. in dicto consilio 130. n. 6.

Nota quod Sarraceni illi dicuntur, qui nec nouum testamentum, nec vetus, recipiunt, sed Deos plures

res colunt Host. in summa in titu. de Iuda. & Sarracenis. §. qui sunt Sarraceni cum §. seq.

Nota etiam quod inter populos extraneos quidam sunt, cum quibus habemus pacem, vt cum Tartaris, & mercatores nostri vadunt ad eos, & illi ad nostros; quidam sunt, cum quibus habemus non pacem, neque guerram, nec aliquid facere possumus, vt cum illis de India; quidam sunt, cum quibus habemus guerram interdictam, vt cum Sarracenis, & Turcis, ita dicit Bart. in l. hostes numero 8. ff. de capitul. & possim. reuers. & quæ sit ratio videas apud eundem Bart. in l. Christianis Cod. de pagan. & sacrif. & templis eorum.

Pena istorum, qui portant ad Sarracenos, & ad alias nationes Barbaras Populo Romano inimicas arma, & alias merces prohibitas de iure ciuili est confiscatio omnium bonorum, & capitis vt probatur in leg. 2. C. quæ res exportari non debent, quæ pena habet locum etiam quando ad dictas gentes deferuntur, fructus aridi, vt concludit Alex. in dict. conf. 130. de iure Canonico imponitur pena excommunicationis confiscationis bonorum, nec non serui capientium, efficiuntur captiui, ita quorundam de Iud. & Saracen. de iure huius Regni virtute Regiæ pragmatice est pena mortis.

An sub appellatione armorum prohibitorum veniant, & censeantur prohibita etiam vagine videas Iacobum Menochium in tract. de arbit. iudic. lib. 2. cent. 1. numero 23. cum seq.

RESOLVT. DI.

- 1 *Hæresis est error in intellectu hominis Christiani fidei catholicæ contrarius in toto, vel in parte cum pertinacia.*
- 2 *Hæreticus propriè dicitur Baptizatus, & instructus in fide catholica.*
- 3 *Faciens actus hereticos, si non habet errorem in intellectu non est hæreticus in foro interiori, sed solum in exteriori.*
- 4 *Pertinacia est consensus, habitam notitiam præsupponens.*
- 5 *Habens errorem in intellectu, si sit paratus credere quod credit Ecclesia, non est hæreticus.*

An Christianus non chatechizatus dici possit hæreticus.

PRO huius articuli dilucidatione, ne incautè procedamus videndum est quid sit hæresis, ex quo deinde clarissimè patebit responsio ad dubium prædictum, & vt ordinatè hoc fiat duo principaliter consideranda sunt primo, quid sit hæresis, secundo quæ requirantur vt quis dicatur verè, & propriè hæreticus.

- Et quoad primum, scilicet quid sit hæresis. Respondeo
- 1 hæresis est error in intellectu hominis Christiani fidei catholicæ ex toto, vel in parte contrarius cum pertinacia. Caiet. in verbo hæresis, & Nauar. cap. 11. num. 22. Dixi error in intellectu quia nullus error dicitur hæresis, nisi sit in intellectu ideo error in lingua, seu in voluntate non est hæresis, vnde si quis ex lapsu linguæ, vel ex subitanea ira diceret Deum esse inustum, vel non esse omnipotentem, iste non esset verè, & propriè hæreticus, quia non habet errorem in intellectu, esset tamen blasphemia hæreticalis si quis ex ira diceret dummodo cessante ira se corrigat. Dixi hominis Christiani quia infidelis nempe Turca Iudæus, seu paganus non potest esse hæreticus, sed solum Christianus dicitur hæreticus si retrocedit à fide catholica Christianorum postquam est baptizatus, quia non licet transire ad aliam sectam, vt supra diximus, quamuis ante vsum rationis sit baptizatus, quia

postquam peruenit ad vsum rationis tenetur assentire omnibus articulis fidei catholicæ c. minores in fin. de Bapt. neque possunt confundere l. simul obseruare religionem christianam, & Iudaicam, cap. quidam de Apostat. Dixi contrarius fidei catholicæ i. alicui determinationi de fide Ecclesiæ catholicæ, v. g. si quis velit pertinaciter tenere, seu credere B. V. esse conceptam in peccato Originali non esset hæreticus, quia id nondum terminatum de fide ab Ecclesiæ catholica, vt in extrauag. 3. de religion. & sumpt. funer. & in Concil. Tridentin. sess. in decreto de peccato Originali in fin. item circa alia quæ non sunt de fide. Dixi ex toto, vel in parte vt comprehendam tam hæreticos, quam Apostatas, quam Atheos quia omnes isti conueniunt, & differunt in aliquibus, hæreticus enim est qui licet omnia credat, & omnia præcepta adimpleat in vno tamen deficit siue in duobus, vel pluribus; Apostata est qui abrenunciata in totum fide nostra catholica aliam amplectitur sectam puta Mahumetanam siue aliam, tamen credit Deum inueniri eundem adorari ritu eorum hic nihil differt realiter, ab hæretico sed tantum secundum magis, vel minus, & dicitur Apostata .i. retrocessor à fide nostra catholica; Athei autem dicuntur illi, qui nihil credunt neque Deum inueniri iuxta illud Psal. 52. Dixit insipiens in corde suo non est Deus, ideo sequitur, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, vnde hæreticus deficiens in vno est excommunicatus per Bullam Cæne Domini, prima clausula, & multo magis Apostata, & Athei, quia sunt hæretici consummati, & Athei dicuntur ab Atheos verbo greco, quod sine Deo significat: Dixi cum pertinacia non ex eo quod sit inflexibilis, & immutabilis, sed vt sciat se errare circa fidem vult suam opinionem tenere non obstante quod Ecclesiæ oppositum decreuerit.

Quoad secundum .i. quæ requiruntur vt quis verè, & propriè dicatur hæreticus dico quatuor copulatiue requiri, primum requisitum est, vt sit homo christianus .i. sit baptizatus, siue ritu Ecclesiæ Occidentalis, siue Orientalis, Infidelis enim vt supra dixi non potest propriè dici hæreticus, & per consequens non ligatur excommunicatione Bullæ cæne neque alijs Ecclesiasticis censuris iuxta illud Apost. Pauli. De his qui fori sunt nihil ad nos, & non sufficit, vt sit baptizatus, sed debet esse instructus in fide catholica alioquin non potest dici hæreticus vt bene notat Alphonsus de Caltr. de iusta heret. pun. primo cap. 7. §. 8. & 9. nam puer christianus vnius mensis, si fuit captus à Turcis, & in captiuitatem eorum datus, & eorum lege instructus illam obseruandi post annos discretionis, postea fuit redemptus à parentibus, vel fuit à Christianis captus dubitatur vtrum iste possit absolui à quocunque sacerdote, partem affirmatiuam tenemus cum eodem Alphons. de Caltr. loc. cit. ratio est, quia iste verè, & propriè non dicitur hæreticus, & consequenter non est ligatus excommunicatione Bullæ, nam licet sit baptizatus cum non sit instructus in fide catholica, ideo non dicitur verè hæreticus.

Secundum requisitum est vt habeat errorem in intellectu v. g. quidam christianus dilacerauit imagines Crucifixi. B. Mariæ V. & pedibus conculcauit vtrum est hæreticus? & prima facie videtur dicendum quod sic, ratio est, quia factio nō ore negauit imagines, quod est contra catholicam fidem, tamen si error non est in intellectu puta quia calore irracundie, vel ex subitanea animi passione illud fecit, non est verè hæreticus sed commisit graue peccatum blasphemie hereticæ quæ prefert animam hæreticam, ideo in foro exteriori vbi iudicatur per actus exteriores, & per presumptionem puniretur tamquam hæreticus, & re vera in foro interiori hæreticus non est, neque excommunicatus.

municatus, similiter si christianus auaritia ductus ut possit thesaurum inuenire persuasus ab astrologo, seu negromante Demonem in phala adorauit, eique incensum obtulit, dubitatur an iste sit excommunicatus in Bulla Cœne, & quidem si non habebat errorem in intellectu partem negatiuam tenemus, hac ratione, quia iste ex animi passione demonem adorauit, ut inueniret thesaurum, vel frueretur aliqua muliere, non tamen credebatur demonem, vel eum dignum adoratione, neque illum habere in se aliquod diuinitatis, ideo non est hæreticus, neque excommunicatus, in foro interno, quia non habet errorem in intellectu, sed in foro exteriori potest tanquam hæreticus puniri, sed si haberet errorem in intellectu ex eo quod prudens, & sciens credidit demonem esse adoratione dignum, tunc in utroque foro hæreticus esset, & consequenter excommunicatus.

Tertium requisitum est, quod christianus habeat errorem in intellectu contrarium fidei catholice, nempe contra sacram scripturam, quæ scripta sunt spiritu sancto inspirante, vel contra traditiones Apostolicas, vel contra concilia confirmata à sede Apostolica, vel contra ea, quæ sunt à Papa de fide definita, vel contra ea, quæ unanimitate consensu omnes Doct. sentiunt, vel contra ea, quæ ex iam dictis euidenter deducuntur, sed si quis haberet aliquam falsam opinionem in his, quæ non sunt fidei, non esset hæreticus D. Thom. 2. 2. q. 11. artic. 2.

Quartum, & vltimum requisitum est pertinacia, ex S. Augustino in cap. dixit Apost. &c. quæ in Ecclesia 24. quæst. 3. circa quod est aduertendum, & diligentissime quod pertinacia ita est de necessitate heresis, ut sine ea heresis esse non possit, & ex hoc patet, quod pertinacia ista non importat obdurationem, seu obstinationem, ut distinguitur contra infirmitatem passionem, & transitorium, seu leuem consensum, sed sumitur hic pertinacia ut æquiualeat vero consensui, præsupposita notitia, quod sit error in fide, siue ex passione, siue ex infirmitate, siue quacunque alia de causa perueniatur ad verum consensum, nam talis vere pertinax esset ita tenet Caie. in D. Tho. 2. 2. quæst. 11. art. 2. & est hæreticus, & proinde excommunicatus in Bulla Cœne. Sed si personæ idiota, puta, femine, simplices, seu rustici ex simplicitate, & ignorantia crederent, v. g. animas nostras rationales esse puellas quasdam pulchras, vel crederent Angelos etiam corporeos, vel Deum patrem esse venerandum senem, Filium pulchrum iuuenem, & Spiritum sanctum esse albam columbam, tales personæ non sunt hæreticæ, quia licet habeant errorem in intellectu fidei catholice contrarium, quoniam tamen pertinaces non sunt, sed paratæ sunt credere quicquid sancta Ecclesia catholica credit, ideo ignorantia, seu simplicitas eas excusat Nauar. cap. 11. numer. 22. sed non excusantur à peccato si aliquin doctæ essent personæ, quia tenentur scire, & discere sub præcepto ut docet S. T. 2. 2. quæst. 2. artic. 5.

RESOLVT. DII.

- 1 In vestibus clericalibus deferendis attendenda est consuetudo regionis, & nu. 2. & similitum personarum, & clericorum num. 3.
- 4 Habitus clericalis debet esse honestus.
- 5 Habitus clericalis ut dicatur quæ concurrere debent nu. 6. 7. 8. & 9.
- 10 Non creditur iudici laico asserenti cepisse clericum absque habitu, & tonsura.



Habitus clericorum quomodo esse debet, ut clericus delinquens remittatur ad iudicem Ecclesiasticum.

- Quæro quomodo esse debet habitus clericorum, ut clericus delinquens remittatur ad iudicem Ecclesiasticum stante Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. quod disponit, ut clerici fori non gaudeant privilegio, nisi deferant habitum, & tonsuram: responderetur, quod nullus à iure determinatus est habitus, sed attendenda est regionis consuetudo, ut testatur gl. & Inn. in c. pen. de vita, & honest. clericorum gl. sing. in Cle. 1. in fi. de elect. vbi And. Sicul. & in c. si quis virorum 30. dist. & in cap. clerici in verb. deauratis de vita, & honest. clericorum Laudon. & Card. in Cle. fin. in fin. eod. tit. & Abb. in d. c. clericis vbi etiam Bened. Capra n. 5. eo. ti. de vita, & honest. clericorum Ale. cōf. 8. vol. 1. & in cōf. 149. in causa inquisitionis col. 3. vol. 6. Fulgos. cōf. 124. col. 1. Corn. in cōf. 157. n. 10. vol. 2. Cap. Tol. in decis. 227. & in dec. 252. fac. de S. Georg. in l. quoties in 4. q. n. 7. C. de iudicijs idem Abb. in c. 1. de apostatis Roc. de Curt. in cap. vlt. de consuet. fol. paru. 18. c. 2. & 59. col. 4. Diaz præct. Crim. can. cap. 69. per totum Foll. præct. crim. in verbo audiantur excusatores n. 43. Clar. in præct. crim. §. si. q. 36. n. 11. dicēs in hoc attendendam esse regionis consuetudinem, & propterea ad iudicandum, an aliquis incedat in habitu, & tonsura clericali videndum est an ille, qui in aliquo habitu incedit prima facie si videatur in populo iudicabitur clericus, aut laicus, ut idem testatur Courn. lib. 2. tit. 2. col. 2. vers. curare Borell. ad Bellu. in specul. prin. Rub. 11. §. videamus num. 6. argum. glof. in princ. 24. quæst. prima.
- 3 Intellige tamen, ut illa consuetudo attendi debet, id est similitum personarum, & clericorum eiusdem consuetudinis Clar. loco citat. Farinac. præct. crimin. quæst. 7. post n. 60. Add. ad Quar. in summ. Bullarj in verbo habitus clericalis in fine.
 - 4 Et licet clericalis habitus non sit à iure determinatus, debent tamen clerici deferre habitum honestum, ut habetur in Clem. fin. §. dignitatem de vita, & honestate clericorū Clem. 2. eod. titulo, & probatur in capitul. omnis 21. quæstion. 4. & ibi Anch.
 - 5 Item debet esse condecens clericis à capite vsq; ad pedes glo. in dicta Clem. 1. in fine de electione, & DD. locis supra citatis.
 - 6 Item non debet ferre in capite pileum lineum, nec de serico dict. Clem. fin. §. dignitatem, vbi glossa & Card.
 - 7 Item clerici non debent vti veste virgata, vel partica diuersorum colorum, ut in dict. Cle. fin. Afflict. in cōst. Regni apostatantes col. 4.
 - 8 Item debet non vti veste rubea capitul. clericis de vita, & honestate clericorum.
 - 9 Nouissimè tamen vestes remittuntur arbitrio Episcopi, ut sancitum est per Concilium Tridentinum sess. 14. de reformat. c. 6. & ut refert Bellug. loc. cit.
 - 10 An autem standum sit dicto simplici iudici laici dicentis se cepisse clericum incedentem absque habitu, & tonsura responde negatiuè teste Inn. in c. super literis de rescriptis Archid. & Ioa. And. in c. Romani §. contrahentes de foro competenti in 6. & Bar. & Alex. in l. 2. ff. si quis ius dicent. & per Foller. in præct. crimin. in verbo audiant excusatores. n. 43. in fine.

RESOLVT. DIII.

- 1 Vim vi repelli posse diuinam, & humana lege statutum est.
- 2 Percutiens clericum causa defensionis nullam incurri excommunicationem.
- 3 Episcopus potest excommunicare pro defensione suorum iurium absque ordine iudiciario.

4 Cef-

- 4 Cessante actu instantaneo non habet locum defensio.
 5 Episcopus excommunicans absque ordine iudiciario incidit in penam cap. sacro de sentent. excomm.

An elapso mense possit Episcopus pro defensione suorum iurium molestantem excommunicare absque monitione.

Vim vi repelli posse non solum humana, sed etiam diuina lege constitutum est, ut ex Cephalo refert Menochius conf. 61. volum. 2. quæ naturalis defensio etiam animalibus competit Plaza in epitome delictor. capit. 29. quod procedere etiam aduersus Cardinales ait Ifern. in const. Regni. ut participatio, & multo fortius contra sacerdotes, & religiosos c. 3. de sent. excomm. ubi qui clericum percutit pro sua defensione excommunicationis penam non incurrit, nec in aliquam irregularitatem incidit Cle. 1. de homic. qui optime explicat, idque etiam Monacho aduersus Abbatem conceditur Card. in Cle. 1. ver. præfati quoque de statu Monach. quinimo procedit etiam aduersus Principem Clem. Pastoralis S. ceterum de re iudic. ex quibus clarum erit, quod iudici de facto procedenti iuste resisti possit.

Quare fuit dubitatum, an Regula illa possit Episcopum pro defensione suorum iurium excommunicare subditos nulla præcedente monitione, & ordine iudiciario, procedat elapso mense à die resistentiæ, & videbatur prima facie dicendum affirmatiue resolvendum, cum adhuc vigeat oppressio, & consequenter dum adest eadem ratio eadem debet esse iuris dispositio. Iquod dictum f. de pactis.

Ceterum contrarium respondi ex eo, quod ad hoc ut prædicta excommunicatio Episcopo permittatur necesse est, ut ad sint termini defensionis, unde cum elapso mense cesset actus instantaneus, ac proinde minimè dici possit in continentis. l. 3. §. fin. ff. de vi, & vi arm. l. 1. Cod. unde in Francisc. Marc. decif. 534. latè Anna in conf. 7. propterea sum voti ex prædictis non licuisse præfato Episcopo pro defensione suorum iurium elapso mense à die resistentiæ excommunicare, absque monitionibus, & consequenter incidisse in penas capituli fac. de sentent. excomm. de cuius intellectu latè Marra in decif. 72.

PRAXIS VARIARVM RESOLUTIONVM.

RESOLVT. DIV.

- 1 Pendente purgatione creditoris, debitor non incurrit in excommunicationem, si dilatio præstatur ante commissam penam.
- 2 In prorogatione termini, censetur etiam prorogata pena, quæ erat in primo termino.
- 3 Iudicis tamen consensus requiritur, ne propter creditoris dilationem, quis non incurrat excommunicationem.
- 4 Excommunicatio non potest suspendi, & differri, ut semel sublata, iterum incurrat ob creditoris voluntatem.
- 5 Qui potest virtute bullæ cruciatæ absolueri ab excommunicatione, lata etiam ad partis instantiam, non potest absolueri cum reincidentia.
- 6 Absolutio cum reincidentia, continet in se excommunicationem in casu reincidentiæ.
- 7 In bulla cruciatæ nomini partis non intelligitur iudex, sed pars ad cuius instantiam lata est excommunicatio.

An liget excommunicatio si ante finitum terminum datum à iudice à parte prorogetur.

Iudex præfixit terminum debitori ad soluendum creditori sub pena excommunicationis, creditor

prorogauit intra præfatum terminum, diem solutionis debitoris in hoc casu non esse excommunicationem lapso illo die primi termini, pendente prorogatione alterius censent Barth. in l. 1. §. & post operis num. 6. & Paul. de Cast. nu. 4. ff. de nou. oper. nunciat. quos sequitur Abb. in c. 1. n. 7. locat. in cap. præterea el. 2. num. 4. & ibi Dec. num. 7. de Appellat. qui dicit hanc opinionem veriore, & magis communem, & idem affirmant Ceuallos in quæstion. 493. Didacus Perez lib. 8. tit. 5. l. 1. pag. 176. versicul. præterea Cardin. in Cle. 1. §. nos itaque numer. 18. de iureiur. Rebuff. in concord. in rubr. de prorogatione dilation. pag. 783. in princ. Lud. Lopez 2. par. instr. conscient. tit. de excommunic. c. 13. pag. 882. vers. tertio decimo Angel. in sum. in verb. excommunicatio el. 2. num. 14. Neuizan. in Sylua nupt. lib. 3. nu. 55. in fin. Felyn. in cap. de causis numer. 2. de offic. delegat. & ibi Dec. numer. 44. Pedraza in explicat. 7. præcept. decalogi §. 15. vers. Però veamos. Alphons. Vega in prima parte sum. capitul. 85. cal. 111. in principio Spin. in Specul. testam. in glo. rubr. in 11. par. numer. 43. quod verum esse intelligo, si consensus creditoris præstatur ante commissam penam, quia post penam, & excommunicationem inflatam, consensus superueniens non tolleret eam Ang. verb. excommunicatio el. 1. nu. 20. vers. intellige Nau. in d. num. 15. & Beia post alios in d. cal. 111. vers. lo qual se pruenca. & quod facta prorogatione non maneat reus excommunicatus satis expresse prob. ca. 1. de locat. ubi excommunicatio lata in fauorem partis cessat accedente consensu illius, cuius conclusionis ratio ea potissimè assignatur, quod in prorogatione termini censetur etiam prorogata pena, quæ erat in primo termino, ut probatur eleganter in l. lecta vers. dicebam, & ibi scribentes ff. si cerpet. ubi prorogatio termini facta debitori super mutuo intelligitur cum vsuris, nullique dubium est penam esse soluere vsuras. Iqui sine ff. de negoc. gest. & quod pena censetur etiam prorogata tenet Bal. in c. per venerabilem col. penult. de elect. & in l. acceptam mutuo in 7. qu. C. de vsuris, & in leg. 1. 10. q. C. de his quæ pen. nomin. Paul. de Cast. in l. cum stipulatus sum mihi à Proculo vers. sed hic quæro, & ibi Alex. in vers. in gl. fin. verb. proficere de verb. obligat. Alex. in leg. 1. §. & post operis vers. tu ergo pro regula, ff. de noui oper. nunciat. Boer. decif. 284. numer. 9. & 10. Fely. in cap. præterea num. 34. vers. & pro hac parte de sponsal. subdens quod in sententia excommunicationis, & in iuramento præfatio de soluendo in termino si creditor concesserit maiorem dilationem, non incidit in periurium, nec in excommunicationem si debitor non soluat in primo termino, quia censetur prorogasse cum appendicibus præcedentibus, scilicet excommunicatione, & iuramento, & cum eisdem qualitatibus, & conditionibus, quæ continebantur in illo primo actu glos. in leg. sed & si manente ff. de precat. & tradunt Felyn. in cap. De causis numer. 20. de officio deleg. Zabarella in dict. num. 18. Anton. Gabr. lib. 2. commun. opin. titul. de dilation. conclus. 2. num. 10. 11. & 12. Ias. in dicto §. & post operis numer. 8. Felyn. in cap. de causis num. 2. de officio delegat. & ibidem Dec. ex num. 45. & in cap. præterea numer. 11. de Appellat. Couarru. in capit. quamuis pactum. 1. par. in initio num. 6. Gutierrez de iurament. confirmat. 1. par. capitul. 49. num. 9. & ratio est, quia ille dies assignatus per iudicem est præfixus in gratiam creditoris, ideo per ipsum potest prorogari, intra quem tamen terminum prorogationis solutione non facta statim pars incidit in excommunicationem, ut ex Ant. Gabr. ubi supra n. 13. & Gutierrez super numer. 11. Rebuff. in d. pag. 783. versicul. si tamen creditor Ioa. Monachus in c. quicumque numero 8. de sent. excomm. in 6. Innoc. in d. capit. præterea de appellat. num. 5.